Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1729
Quelle:
Copyright:

XXVII. *fol.* 286. Miſcella de Creatione Angelorum, Caſu Diaboli, et Creatione Hominis.

XXVIII. *fol.* 291. *De ymaginibus queſtio.* Eſt *Jacobi de Miſa*, ut alibi. Initium: *Utrum ſecundum legem ewangelicam pleps chriſti* &c.

XXIX. *fol.* 307. p. 2. *Tractatus Sancti Johannis Hus de matrimonio.* Ut ſupra N°. 12. ſed hic integer. Adhaerent 8. *Turpitudines inter Coniugales.*

XXX. *fol.* 315. *Auctoritates noui et veteris teſtamenti Sanctorum doctorum et vniuerſalis eccleſie contra Communionem paruulorum infantum*, in V. Partes diviſae. Videtur Compilatori noſtro Tros et Rutulus nullo diſcrimine agi.

XXXI. *fol.* 367. *De peccato Mortali hominis Magiſter johannes Hus pie memorie hoc compoſuit ſedens in carcere in conſtancia.* Init: *Peccatum mortale iſto modo committitur* &c. ut edit. *cit.* T. I. p. 41. Succedunt varia Adnotata Theologica, quibus immorari non eſt operae pretium.

CCCCXXXVIII.

524 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. nunc 129. 4. initio et fine mutilus, ſed probe ſcriptus, et *fol.* 45. hanc poſſeſſoris notam praeferens: *Sacerdos Wenceslaus Roſſius preſſorouius habet libellum iſtum Ordinis ſui Anno 1517* (id eſt Ordinationis ſuae anno primo) *Sed ſcripſit iſta manu propria Anno 1554 in Venetijs* (Benatek Prov. Boleslav.) *tempore Beneſi Hendrigo de Donyn, cuius parens deſtruxit totam parochiam ibi*; complectitur Materiam ſeu *Themata Sermonum* tam pro Dominicis quam pro feſtis SS. diebus a die *Nicolai* Ep. usque ad *Dominicam XXI. poſt Pentec.* his ad calcem adjectis: *Expliciunt puncta Magiſtri Johannis Hus* (nomen iſtud eraſum, ſed jam olim denuo reſtitutum fuit) *feria ſexta ante Dominicam Oculi mei ſemper ad Dominum Anno ab incarnacione domini noſtri ibeſu chriſti 1414.* Sermo primus incipit: *Quemcunque elegerit dominus ipſe ſanctus eſt. Num. 16. Verba producta poſſunt beato Nicolao competere, quia ſanctus et a deo in dignitatem epiſcopalem electus* &c. Nihil de his *Punctis* in editis *Job. Huſſi* Operibus, atque, an omnia ad illum referri debeant, neſcio. *Fol.* certe 9. *Roſſius* adſcripſit: *Super Math. 26. Bibite ex eo omnes Job. Hus*, et *fol.* 48. *De paſſione Beati Johannis hus. a. 1527.* Quae tamen hic in *Paſſionem Domini* leguntur, prorſus diverſa ſunt ab Expoſitione illa, quae extat *Opp. Huſſi* T. II. p. 8. Nota etiam *ro Beati*, quod *Roſſius*, quamvis in *Italia* ordinatus Sacerdos, *Huſſo* tribuit. Inter Sermones porro locus eſt divis *Bohemiae* Indigetibus, puta *Procopio*, *Ludmillae*, *Wenceslao*. *Folia* item 51. et 52. variis gloſſis lingua Gentis adſperſa ſunt.

Codicis